

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ienensis, Et Ivliae Academiarm Decvs, B. Ioannes Andreas
Schmidivs, Mvnitvris, Ornatvrisqve Divinae Sapientiae
Professionem Rectis, Solidisqve ...**

Vockerodt, Gottfried

Gothae, [1727?]

VD18 13389122

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-199828



Anto confidentius inter lustrandae **ILLVSTRIS**

litterariae officinae solennia, quibus tempestiue rectiora celebrantur studia, atque aemula alumnorum industria accenditur, his **BEATVM SCHMIDIVM** propono, quo exploratior **VIRI** dos mihi fuit, & perspectiora merita de diuinae non modo sapientiae disciplina rectiore; sed & de re litteraria vniuersa, vtpote ipsius discipulo, & per plures annos in **DISQVIRENTIVM SOCIETATE** collegae; cuius legibus Ienae intra ipsius lares, ex quo, **SCHMIDIANO** praecipue consilio, & autoritate, **BOSIANVM** istud institutum erat instauratum, singulis hebdomadibus congregabantur beati plerique nunc viri, Treunnerus, & Gerhardus, theologi, Struuius, & Schroeterus, **ICti**, Fickius medicus, & litterator Ratisbonensis, Landgravius, ad recensenda litterariorum ephemeridum, quas quisque excusserat, argumenta, & differendum de re varia, sacra, ciuili, & litteraria. Certe ingratus mihi viderer, nisi palam praedicarem propitii mihi numinis prouidentiam, quae talem mihi tironi academico dedit magistrum, atque, ex quo audire eum mihi contigit, & delectari tam explicata, quam meditata eius docendi ratione, capique penitus, quod in moribus eius dominabatur, nec casu quocunque tentatum deferebat, animi recte compositi pignore, & decore, pia modestia, quae legitimum autoritatis pondus ei conciliabat, vt non minus amandus, quam suspiciendus videretur, animum mihi iniecit, propositumque praecipue ab ore eius pendendi, sectandique illum publice, & priuatim, siue inaudita adhuc in nostris academiis theologiae naturalis statuta, singularis disciplinae lege composita, & redacta in formam scientiae philosophicae, siue rationem studii philosophici vniuersi traderet, siue potior rem rationalis philosophiae partem, **ANALYTICAM**, temporum vitio, vel per inertiam neglectam, vel per imperitiam explosam, commendaret enixe, & sanctioribus litteris explanandis, vindicandisque a corruptelis accommodaret: siue cum lectissimis, & discendi cupidissimis adolescentibus, inter quos recorder, & honoris causa nomino **GOEKELIVM**, Gothanum, Badensis postea aulae lumen, **LAVTERBACHIVM**, clarum deinceps Guelpherbytanorum mathematicum, & Schmalcaldensium medicum insignem, **FVCHSIVM**, de veterum, recentiorumque physicorum placitis disputaret, & haec Guerickiano instrumentorum apparatu copiosissimo illustraret: siue in publica cathedra periclitari vellet auditores suis scholis praecipue addictos, maxime cum peculiaris disciplinae lege comprehensa placita sua de naturali theologia excutienda proponeret in propatulo: inter cuius instituti adiutores cum pro singulari sua in me gratia, quamuis non adeo veteranum academicum, me cooptasset, non invitus passus est, ex quo semel *responderam*, saepius

oppo-

opponere, aliorum etiam loco, quos vel festinator abitus in patriam, vel solennes academicis interpellationes aliae cogebant operam mihi mandare vicariam. Eidem gratiae, & fauori tribuo, quod, cum B. BOSII fato distractam DISQVIRENTVM societatem instaurare illi visum esset, non modo locum in hac mihi daret; sed cum institutum suum in primo aditu regiminis academici vellet publicari, ex sociis omnibus me voluerit esse interpretem, & edenda illa ipsa tabula, quae inter sermones meos Latinos Gothae iterum typis exscriptos legitur, non magis renouatae SOCIETATIS, quam meorum studiorum famae consulere: / quorum commendatio adeo beato viro cordi erat, vt, cum rectore rei scholasticae praecipua IMPERII ciuitas opus haberet, ipsique delectus esset datus, suam mihi suffragationem offerret, nec non autoritate sua obtinuisset, vt spartam illam suscepissem, si illi satis ornandae non imparem per aetatem me iudicassem. Quae inusitata voluntatis, & paternae indulgentiae documenta, impius forem, si tacitus praeterire vellem, & rectiorum studiorum exemplum, alumniis meis commendandum, aliunde reperere, quam a memoria Schmidiana, & vestigiis spectatissimae integritatis, si, quod rectum, iustumque, & Christi cultore dignum est, in liberalium artium, & diuinarum litterarum studio religiose, & suae non minus, quam publicae saluti accommodare quis voluerit versari. In haec deducere coetum mihi obnoxium eo minus dubito, quo magis certum est, id facere me posse cum fructu discipulorum iuxta, ac summae autoritatis approbatione. Constat enim B. SCHMIDIO magistro vsu in academia IVLIA, qui sacrae curiae supremae hic lumen est, iuuentutis principum hic studia regit palatinumque suppellectilis litterariae, & numariae apparatus consiliis suis ita ornat, & ordinat, vt habeat eruditus orbis, quod suspiciat, & posteritas, quod admiretur. Quamvis enim summam illam eruditionis celebritatem, & quibus inde fruitur patria, ornamenta diuino VIRI ingenio despondere potuisses, & credibile sit, potuisse ea consequi sine magisterio; IPSE tamen impense sibi gratulatur, B. SCHMIDIO vt i sibi licuisse magistro, & hospite, atque ad recta, & salutaria se ductum eius exemplo, contubernioque maxime incitatum, & adiutum ad vrgendum acrius bonae mentis culturam, publicis vsibus accommodatam. Nec priuatae solum istae rationes SCHMIDIANAM commendare nobis debent memoriam; talis theologus temporibus nostris aptus, & necessarius erat. Quibus datum est, rei litterariae, & Christianae indolem perspicere, affirmabunt, tempestiue scholis, & ecclesiis euangelicis lumen istud illuxisse, & B. SCHMIDIVM inter praecipuos fuisse, qui inualescentibus corruptelis intercesserunt, & sanandae labi publicae animum, ingeniumque accommodauerunt. Iidem praedicabunt propitiam rei euangelicae, & litterariae providentiam, qua adgubernante VVormatia anno superioris seculi LII. patre summo sacrorum antistite dedit, Augusta Vindelicorum fouit, Iena, & Helmstadium ex cepit, qui in illius litterarum, & pietatis officina ornanda quatuor pene lustra, hic quinque, & quod excurrit, tam integre, tam religiose, tam prouidenter versatus est, vt eo duce, & comite rectiora studia pulchre efflorescerent, conticescerentque,

quae paullo ante repullulare visa erant, veteris, damnataeque fraudis, & barbari moris vestigia: quae itidem intercessit, quo minus ante diem XII. Iunii superioris anni ad sedes beatiores abire potuerit spiritus e fessio laboribus, & valetudinis contumacia satis diu conflictato corpore, inter huius etiam dolores exquisitos destinare, & perficere non desinens, quae sanctioris litteraturae studiosis prodesse, quibusque spartam, quam nactus erat, ornare se posse putaret, tanquam non citius emigrandum esset e vita, quam per potiores patriae tractus, inferiorem non minus, quam superiorem Saxoniam, studia rectiora satis essent excitata, nec deessent, qui SCHMIDIANA docendi ratione eadem propagarent ad posteros. Etenim paullo ante varie vitiatum fuisse dicendi, sciendique modum vsitarum in maioribus aequae, ac minoribus scholis, si non adeo multi, qui recordantur, sunt superstites, loquuntur id satis, quae supersunt adhuc, ista tempestate vulgata ingeniorum monumenta, & academicae industriae specimina: in quibus pro consentaneis diuinae veritati placitis, artiumque institutis solidis, & salutaribus damnata, & proscripta a piis confessoribus barbara scholasticorum commenta celebrantur, crebriusque in testimonium citantur Suarez, Vasquez, Velasquez, & Arriaga, quam Petrus, Paulus, & erudite antiquitatis principes. Dominata haec aliquandiu scholastica institutionis deprauatio, & postliminio inualescens barbaries doctrinae, morumque integritatem sartam rectam non poterat praestare. Et quamuis non defuissent, qui malo isti mederi bona fide voluerint, in diuersum tamen, ut humanum est, plerique acti vel temere nouare omnia, vel in vnus veteris magistri verba, & placita iurare, & explosa ratione, & experientia, autoritate contendere ausi sunt. SCHMIDIANO itaque temperamento, & delectu, iudicioque opus erat ad profligandas e scholis euangelicis corruptelas: quarum tam pertinaces extirpare defensores, ut, qui barbarae dictioni dicam scripserat vir eruditus, histronicae licentiae insectatione pene proferberetur: quotquot autem ad sanandum sciendi, docendique modum conuersi visi sunt, suspicionibus, vel criminosa nouitatis accusatione deterrerentur ab incepto. Conscius autem B. SCHMIDIVS recti, religiosique propositi facile spernebat ista terriculamenta, munitaeque sapientiae praesidiis copiosissimis instructus prouidenter magis, quam audacter rem adgrediebatur, nec tam venditabat manum medicam, quam non sentientibus applicabat. Scilicet doctus ab Augustano litteratore insigni, Crophio seniore, Boecleri discipulo: quod tunc ad opinionem solidae litteraturae satis erat: cum omni liberalium artium apparatu, qui ad humanitatem pertinet, scribere, & dicere non barbare, rebusque dicendis, quarum studiosior semper, quam verborum visus est, & legentium, vel audientium captui convenienter, habuit Augustae, qui adolescenti mathesin inculcaret, & Euclide magistro traderet curatius demonstrandi usum, sciendique modum. Cum itaque accederet Ienae mysterii huius logici explanator solertissimus, autor analyseos Aristotelicae ex Euclide restituendae, VVeigeli: cuius magisterio & insignem iuris naturalis doctorem, Puffendorhium, sciendi, & demonstrandi modum percepisse, & mo-
 rum

rum doctrinae accommodasse, constat: ita in arte tam necessaria, quam vulgo neglecta, profecit B. SCHMIDIVS, vt recte de eo dici potuerit, discipulum superasse magistrum, explanandi videlicet facilitate, & admirabili dexteritate in aperiendo vsu instrumenti: quo nomine non temere complexi sunt veteres, quicquid ad artem illam illustrandam commentatus est Aristoteles: idque accommodando in omni doctrinae genere, vbi obscura essent explicanda, confusa ordinanda, falsa veris internoscenda, verisimilia distinguenda a certis, propria a communibus. Sane dignus sapientiae professoribus sciendi, & docendi modus, verusque ANALYTICAE vsus, superioribus temporibus per interpretum Graecorum Aristotelis monumenta copiosa peruestigatus, inter Arabum commenta quaesitus, ab horum aemulis scholasticis frustra repetitus, a scholasticae stribliginis vindicibus Altorfinis, & Regiomontanis magno conatu restitutus, ab Helmstadiensium, & Germaniae lumine, Conringio, in tradenda etiam ciuili doctrina, a qua exulare analyticam *ἀνελβετον*, & veram demonstrandi rationem diu creditum est, vsurpatus tam feliciter, vt haec potissimum ars copiosissimam viri doctrinam ornaret, & orbi erudito, omnique posteritati admirandam efficeret: ad quem commendandum scholis omnibus, quicquid habuit ingenii, & doctrinae, pius, & doctus senex, medicus Erfurtensis, Leichnerus, & ad vltimum partem facultatum suarum, cum ad vrgendum hoc institutum PHILANALYTICORVM societas illi visa esset congreganda, liberalissime impendit: sic illustratus est a B. SCHMIDIO, & Ienae, Helmstadiique docendo, & scribendo vulgatus, vt quotquot ad eius se referre auspicia voluerint, & bona fide Schmidiana sequi praecepta, & exemplum, qualiacunque nacti fuerint ingenia, & qualescunque habuerint discendi opportunitates, studiorum suorum fructum aliquem consequi potuerint; praesertim cum emendatissimus Schmidianae vitae actus, & piae modestiae exemplum venerabile reuocaret ad frugem, quos vel natura nequior, vel fortuna lautior sollicitabat ad contraria, adque adeo intercederet felicissime grauissimis boni moris offensionibus, solennibusque academicae vitae scopulis, & culturae bonae mentis impedimentis. Quo pacto non paucis procerum Saxoniae inferioris filii emerferunt ad frugem, vt Iuliam academiam, & SERENISSIMORVM NVTRITORVM aulas, susceptaque apud eos honorata ministeria ornare potuerint ante magistri sui aduentum. Quales sine dubio non destiterunt vrgere, donec patriae suae, & academiae Iuliae conciliarent magistrum suum exoptatissimum, impedirentque, quo minus inter nouae academiae Hallensis lumina luceret B. Schmidius: quo cum B. Rayero, & liberalibus tunc studiis florentissimo S. R. Buddeo inuitabatur: nec suo iure frui Augustani possent in reuocando suo quasi alumno ad summam, quam tribuere poterant, dignitatem, rei videlicet ecclesiasticae, & scholasticae praefecturam. Ingeniis tam magnis, tantisque humanae eruditionis praesidiis exaggeratis si pia non defuerit destinatio, & sanctae non minus, quam excultae mentis cura, quid non despondeas? quid non efficiant dato recte agendi campo liberiore? per quas obstantes difficultates non perrumpant conscia

integritatis, voti, consiliique sui, atque ideo non temere diuino confisa auxilio? B. SCHMIDIVM ex domestica sine dubio disciplina religiosiore a pueris pie destinasse, & vota sanctissima concepisse, aperuit, quod symboli loco professus, & accedens ad studia liberalium artium, videlicet *Iesum diligere sapientia VNICA*: quod earundem magister renunciatus, vsurpauit: *Iesus sapientia PRIMA*: quod professor constitutus, inculcaturum se, significauit: *Iesus sapientia MAXIMA*. Nec verbis eum solum, & gestu, habituque externo, ad sancti moris speciem composito, pietatem celebrasse; sed toto vitae actu, factisque probasse testabuntur, quibus eum nosse datum est familiarius. Ideo B. Sagittario, quam ingenuo, strenuoque veri, rectique assertori? non alius idoneus magis visus est, cui moriens pia instituta, quae in Ienenſe templum academicum introduxerat, commendaret tuenda, & conseruanda; procurandaque, quae decedens sine haerede facto testamento constituerat. In quo mandato implendo, & publicis vindicando vsibus, quae his *beatus* destinaverat, quam integre, & incorrupte versatus sit, non inuita testabitur, quae SCHMIDIANA fide, & prouidentia fruitur, ACADEMIA IENENSIS. Testis ipse esse possum SCHMIDIANAE pietatis, studiique singularis in bene de se meritum praeceptorem, CROPHIVM, filiumque eius errantem, quod, cum reuocari ab incepto, & sanari adhuc posse videretur hominis intemperies, tam impense in eo monendo, & deterrendo a malo proposito, collocauit, vt vix pater filii studiosior esse videretur; idque eodem tempore, quo S. R. ABBAS BREITHAVPTIVS nihil omittebat, quod ad vacillantis hominis lapsum prohibendum pertinere videbatur. Quod coniunctum tantorum virorum in CROPHIO seruando studium obscurum mihi esse non poterat, cum me administrum esse contingeret. Etenim, solum intercedere me, & repentinum consilium inter Papicolas quaerendi afflictæ fortunæ solamina impedire posse, desperabam. Patuerat autem B. SCHMIDIO dudum hic animi morbus dilecti filii magistri sui, nec non auditoris sui academici: cui opposueritne, commentationem de heroum filiis noxis: quae inter prima Schmidiani ingenii, & doctrinae reconditæ specimina vulgata est: qua repræsentatis pereuntium casibus, & causis, atque alienis exemplis descendentem a paterno instituto, & frugalitate rectiora monere poterat videri, affirmare non ausim? Minus autem dubitari potest, *Φιλαντίας* sophismata inscriptam longam disputationem Schmidianam, qua ostenditur, foecunda errorum mater, coecus amor sui, quam veri, rectique notioni obſtet, officiatque progressibus in sapientiae studio, errantis Crophii causa institutam, publicatamque esse. Expressum huius nomen in clausula, & mentio libelli Mackenſei de humanae rationis infirmitate: quem ipse Crophius Schmidiano sine dubio consilio ediderat a primo exilio redux, in quod coniecerat hominem non scelus aliquod; sed solenne magnis ingeniis malum, ambitio: non obscure aperiunt veram totius commentationis causam, & occasionem, notantque, qui aduersus *Φιλαντίας* *σόφισμα* imprimis visus sit muniendus. Nec Schmidianum consilium, institutumque successu caruisse, ipse testis esse possum. Halis Saxonum notescens

tescens mihi familiarius non dissimulabat Crophius, quid sibi Mackenzei libellus profuerit in noscenda, & detestanda ingenii fiducia, insignis illius vecordiae causa, qua stimulante fastidiuerit, abieceritque spartam scholasticam, propter pii parentis merita sibi impositam, ex quo cum nouo nomine DOMINI de KEYSERSIEG donatus fuerit palatini comitis dignitate, remunerataque industria in rege Rom. Iosepho carmine celebrando, ratus noui hominis, dominique nomen obscuratum iri in litterario ludo, & maius poscere theatrum, in quo iactetur. Profuit ista ingenua erroris confessio spectatae dudum eruditionis viro apud curatores rei academicae, permixtumque ei est, publicata tabula venditare operam, & studium nouis ciuibus academicis. At vero contingebat bono viro, quod Paulus recens initiatis Christianae veritatis sacris denunciat: conscius quidem; sed nondum victor animi impotentiae, nec diuinis satis subactus litteris; quas Ienae pro humanae sapientiae studio adeo se contempsisse non negabat ipse, vt, quos iis impensius deditos animaduertisset ex ciuibus, palam fuerit infectatus: data liberius dicendi occasione effutiit, quae in calumniae materiam detorquere poterant nouorum professorum, maxime theologorum, inimici, & his exprobrando aegre facere. Altero itaque exilio cum rebus suis rectius consulere statuisset; hic Gothae autem in Bellarminum incidisset, parum memor Schmidianae institutionis, & monitionis, non cautus satis aduersus *Φιλαντίας σόφισμα* erat: pertaesus humilis officii domestici, cui Gothae adhibebatur, inculcans diuinarum litterarum rudimenta; atque animaduertens, vix lautiore auctoramento, & spe potiunadae dignitatis maioris, quam apud suos abiecerat, se diu seruientium partem fore, cupide Bellarminianam de ecclesia sententiam captabat, vertebatque in occasionem, & causam damnandi placita theologorum PROTESTANTIVM, & Romana sacra profitendi. Spectata hic potissimum est paullo ante memorata pietas B. SCHMIDII in Crophio suo dehortando ab incepto rationibus hominis ingenio, & fortunae accommodatis. Huius autem restituendae, augendaeque ad Crophianae *Φιλαντίας* modum, cum post res amissas nec spes superesset, emergendi e statu, quem sibi fingebat, miserrimo, cupido ante omnem rationem erat, auferebatque hominem ita in transuersum, vt Erfurti damnaret, quod ignorabat; profitereturque, quod suae destinationi aptum, profuturumque crederet. Intentus enim vnice monumentis historiarum omnis aevi perlustrandis, & excutiendis inter academica studia non attigit theologiarum, scholarum operas, nec veram de ecclesia sententiam, in symbolicis libris expressam, & Ienenfis Musaei opera explicatissime assertam, noscere illi cordi fuit, adeo, vt, cum haec illi repraesentaretur, audacter per imperitiam negaret, hanc esse Lutheranae ecclesiae sententiam. Adeo non fraudi esse debet famae SCHMIDIANAE, non potuisse seruare magistri sui dilecti filium tanti ingenii, & tam spectatae eruditionis, non alia re, quam *Φιλαντία*, & sacrorum domesticorum imperitia euersum: cuius friuole accusandi hbidinem, & criminandi melioris notae Lutheranos theologos vanitatem strenue refellit B. PFANNERVS, cum ille non dubitasset

scripta

scripta criminatione propriam publicare turpitudinem. Ridiculam pene ἰδοσυγκρίσις, & impatientiam rerum externis sensibus ingratarum, atque ex φιλαυτία pertinace, accedente domestica indulgentia, qua filius vnicus sine dubio educatus est, profectam animi intemperiem insignem senserunt sine dubio dudum, ad quos transit, etiam si, quam habent, charitatem in ferenda hospitis noui impotentia expromere non recusauerint. Superest SCHMIDIANAE pie destinationis nota praecipua, dura fata, pro recte factis omnem BEATI vitam obsidentia, & vrgentia. Inter haec exulare hominum odia credidisses, quae ille caute, & prouidenter agendo vitasse, naturali animi bonitate, & inusitata comitate mitigasse potuit videri. Sed quam asperata illa fuerint in abeuntem ex Ienensi academia, publicata in funere eius tabula loquitur. Explicatius ista, omniaque, quibus confictatus est BEATVS, mala, repraesentabuntur ab oratoribus. Inde, quod expertus ipse est, confidentius praescribere potuit sacrarum litterarum cultoribus in meditationibus de studiosi theologi fatis, vita, & studiis, anno huius seculi VI. idque suis, patrumque sanctissimorum simili ratione vexatorum verbis, quibus detestatur, qui pios, si Gregorii Nysseni verba vsurpare hic licuerit, odiosis traducunt nominibus, digito monstrant, columnis obruunt, & varias maculas vitae illorum inurere conantur: tale spectaculum Gregorium Thaumaturgum fuisse adolescentem: cuius integritatis laus cum impurorum dedecus fuisset, hos insidias commentos, meretriculamque conduxisse, quae philosophantem cum viris doctis Gregorium interpellaret, mercedemque sibi pro consuetudine debitam posceret; sed magno suo malo, & architectorum turpitudine, dum post extortam pecuniam a Cacodaemone arripitur, & male habetur persona illa scenica. Nec gloriosus adeo exitus fuit B. SCHMIDII virtuti, & laudi infensorum: dum illam interim oppugnando, & vexando liuor accendit, hanc illustrat, augetque data materia expromendi omnem virtutis heroicæ gloriam superantia patientiae specimina. Quae cum tortor domesticus, morbus pertinax, post liuoris vim irritam provocaret quotidie, quanta virtutis, laudisque theologus B. SCHMIDIVS fuisse censendus est? Dignus vt successor, ita laudator ei contigit S. REVERENDVS MOSHEMIVS, nec qui academiae nomine elogium eius scripsit, meritis inuidit: quae vt post fata minus obscurantur, vel inquinantur, clarae dudum, & spectatae virtutis posteritas efficiet. Nobis licebit Gorhanos alumnos, quos ad rectiora studia excitare voluerimus, in SCHMIDIANAM sapientiae, & virtutis semitam ducere, & a BEATI VIRI praeceptis, & exemplo repetere rerum in curriculo scholastico, & academico recte agendarum rationem. Quam cum studiis, factis, & fatis SCHMIDIANIS celebrandam, qui sibi imponi passi sunt, ad academias propediem dimittendi CLASSIS SELECTAE supremi ordinis alumni, ita partiti sunt operas, vt repraesentaturus sit B. SCHMIDIVM idoneum auctorem, doctoremque praesidiorum sanctioris litteraturae,

primus
MATHESEOS:
 alter
SANIORIS PHILOSOPHIAE:
 postremus
PHILOLOGIAE & SACRAE ANTIQVITATIS.

Ad hos publicos sermones, in CLASSIS I. ILLVSTRIS Gymnasii auditorio, crastino die, hora VII. ante meridiem audiendos, vt frequentes conueniant eiusdem PATRONI, & FAVTORES, obseruantissime rogantur. P. P. XXVII. Iul.

CIC 1500 XXVII.

